HISTORIA EPILEPSIAE CUM SYPHILIDE COMPLICATAE DISSERTATIO...

Giovanni Danieli

HISTORIA EPILEPSIAE

CUM

SYPHILIDE COMPLICATAE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN CELEBERRIMO AC PERVETUSTO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PRO

MEDICINAE LAUREA

RITE ASSEQUENDA

PUBLICAE DISQUISITIONI PRAEBET

JOANNES DANIELI

VICETINUS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXI.

PATRVO

BENEVOLO . AMANTISSIMO

IN

GRATI . ANIMI . ET . OBSEQVI

ARGVMENTVM

NEPOS

D. D. D.

Regina Brusco in vico agri Tarvisini annoa viginti sex nata, temperamento asthenico excitabili, et bona corporis compage donata, a sanis parentibus ortum duxit. Prima aetate nulli obnoxia fuit morbo: anno tantum septimo volvente variolis naturalibus correpta fuit, quas facile superavit. Deinde eam scarlatina, morbilli et rubeola affecerunt, qui morbi absque ulla aegrotantia noxa, aut morbosa reliquia cito disparuere.

Temporis decursu coitui impuro indulgens, salutis uno tempore et virginitatis decus atque florem amisit. Pubertatis aetate adveniente, catamenia apparuerunt. Anno decimo tertio, Tarvisii epidemica typhi contagione grassante, aegra nostra gravi laboravit febri typhoidea, a qua ipsius naturae praesidio potius quam artis ope exinde convaluit, talique pacto ad annum decimum quartum vergebat; cum quadam nocte, dum somno recrearetur, ei derepente, reclusa quasi cubiculi janua, sese obtulisse ante oculos somniavit terrifica phantasmata, eamque trepida formidine corripuerunt, quorum adspectu exterrefacta surrexit e lectulo, clamavitque.

Ex hoc momento epileptici insultus aegram no-

stram torquere coeperunt. Anno decimo nono febri quartana duorum mensium curriculo correpta fuit, quae opitulante natura, profligata fuerant. Febribus deinde typi quotidiani obnoxia fuit, quae febrifugis, et praesertim sulphate chininae cito evanuerunt. Anno vigesimo quarto nupta concepit; sed epilepticae accessiones minime cessabant. Gestatione ineunte, nescio qua de causa a conjuge graviter perculsa, abortu laboravit, et vehementior inde epilepsia in scenam prodiit.

Mense octobris anni praeterlapsi adficiebatur in parte anteriori, et media dexteri cruris sensu quodam doloris cum tumore exterius apparente, qui sensim sensimque ad pedis extremitatem usque extendebatur, et exostosis in loco primitus adfecto observata fuit. Applicavit tunc loco dolenti emplastrum e seminibus lini confectum; sed magis magisque tumor increscebat, atque dolor sub compressione notabatur. Quam ob rem hoc petiit nosocomium, atque ibi die quinta Novembris ei opportuna suppeditata sunt pharmaca; verum ter epilepsia conflictata fuit, et propterea ad clinicam scholam translata die vigesima prima ejusdem mensis, meisque observationibus tradita, ~~in qua~~ sequentia notatu digna animadvertenda esse existimavi.

Status praesens.

Calorem cutis adauctum cognovi cum pulsuum frequentia, dolorem aegra accusabat, et pondus capitis grave, perspexi convulsivam corporis contorsionem cum sensuum tum internorum, tum

externorum alienatione, frequentes cordis palpitationes, linguam albo muco foedatam, alvum strictam, et exostosim in crure dextero invenimus, nocturnis praesertim doloribus ipsa conquerebatur ossium diaphysin obsidentibus. Quibus omnibus rite perpensis egregius clarissimusque professor noster Federigo de epilepsia cum syphilide agi promptissime sensit.

Aetiologia.

Causae huncce terribilem morbum evolventes possunt esse proegumenae et procatharticae. Inter primas recenseri debent aetas juvenilis, sexus femineus, magna sensilitas nervosa, temperamentum sanguineum, capitisque mala conformatio.

Inter procatharticas habentur in primis terror, ira, studia nimis intensa, gravia animi pathemata deprimentia, corpora peregrina in cerebro haerentia, fluxus habituales retenti, impetigines male curatae aut suppressae, exanthemata retropulsa, ulcera antiqua nimis cito exsiccata atque curata, nervorum distractiones, exostoses, vulnera, casus, onania, labes syphilitica, morbi abdominis atque uteri, helminthiasis atque difficilis in pueris dentitio etc.

Prognosis.

Quoad prognosin, morbi indole, duratione, causis et complicatione perspecta, non facile felix statui poterat.

Curatio.

Indicationes therapeuticae e statuta morbi natura duplices innotescunt: primo nimirum syphilidem methodo sic dicta antisyphilitica profligare, atque exinde epilepsiae curam apto pharmacorum auxilio instituere.

Et quidem prima curationis die ut segnis moveretur alvus, ac pulsuum immineretur frequentia, arteriarumque et cordis praesertim infringeretur reactio, praescriptum fuit oleum ricini.

Vespere autem ejusdem diei hora circiter quarta coepit aegra sensum accusare doloris pungentis ad scrobiculum cordis, quem subsecuta fuit cordis ipsius crebra ac fortis palpitatio, indeque epileptici insultus in scenam phaenomenis sequentibus prodierunt. Primum aegra post illas frequentes cordis palpitationes sensum et cognitionem omnino amittebat; deinde forti ululatu conqueri videbatur de interno summo dolore; illico affectio epileptica transferebatur ad encephalon, ex quo per nerveum consensum transmittebatur per totum corpus, atque primum adficiebantur pedes, crura, coxae, artusque superiores clonicis motibus; deinde fortes contractiones musculorum flexorum femoris, quas subsequebatur repentina relaxatio. Erigebantur capilli, supercilia in modum crucis alterno motu dirigebantur, extollebantur, ac citissime deprimebantur. Oculi scintillantes, protuberantes, aliquoties valde mobiles, toties immobiles atque attoniti erant; aderat strabismus: corrugatio cutis frontis: mu-

sculi faciei omnes uno tempore contracti, et postea relaxati conspiciebantur; sed tam cito ac mirificis motibus id perficiebatur, ut gignerent varias vultus ridiculas formas. Trismus maxillae inferioris, quae fortiter superiori adhaerebat, ita ut lingua inter dentes inclusa difficillime posset ad situm normalem absque noxa redigi. Spumam amittebat ex ore. Doloribus ingentibus cruciata cjulabat. Caput undique agitabat, quod nunc in rotationem, nunc vero, vel anterius, vel posterius citissime vehementerque convertebat, modo in unum, alterumve latus inclinabat. Nisi caput figeretur posterius in quodam puncto resistenti, nunc in sterno figebatur mentum, aliunde immobile per aliquot temporis spatium remanebat. Pollex utriusque manus fortiter palma constringebatur. Brachia et crura agitabantur dein alternis motibus clonicis tum extensionis, tum flexionis ac rotationis sic variis tamque repentinis temporis intervallis, ut nequeant non tam describi, sed, auderem dicere, imaginatione fingi. Sub fortibus inspirationibus parietes abdominales modo extollebantur, indeque citissime relaxabantur: musculi imi ventris nunc unus, modo alter, alias cuncti una simul contrahebantur, et sic emprosthotonon mentiebantur, et hisce uno tempore laxatis, dorsalibus autem atque cervicis musculis ad invicem convulsis, epistbotonos in scenam facile prodire videbatur.

Post hosce vehementes dirosque paroxysmos aegra nostra profundo corripiebatur lethargo, ac rigore tetani ad instar. Sed brevi spatio tempo-

ris elapso, profundam abdominis inspirationem cum gemitu ac suspiriis audivimus. Sub fortibus hisce conatibus et contorsionibus facies rubebat tumebatque; sed tumor, rubor cito evanescebant. Venae colli, frontis et temporum turgidae. Pulsus paroxysmo jam ingruente parvi et lenti; epilepsia magis saeviente duri et frequentes. Sensus tactus nullus. Pupilla dilatata nullam lucis impressionem percipiebat. Perspiratio primum levis, sub quiete major, odorem subacidum et nonnihil foetentem praeaeferens.

Post quietem inde expergefacta, compos sui erat. Hinc profunda cum suspirio inspiratione peracta, nonnullis puerilibus digitorum motibus (quod signum fere constans est) finis epilepticis accessionibus imponebatur.

Pulsus post insultus explorati minus vibrati ac tensi erant. Aegra debilis summopere atque anxia de statu suo infelici conquerebatur, adaperiebat oculos, quid fuerit, inquirebat, deque successu mirabatur, et sic quieta deinde relinquebatur.

Ad hosce diros diuturnosque paroxysmos, si fieri poterat, imminuendos mixtura ex aquis menthae et citri cum assae foetidae tinctura, et syrupo corticis aurantiorum componebatur pro aegrae levamine. In posterum ut celebratum antiepilepticum adhibitum fuit oxydum zinci cum extracto valerianae silvestris bolorum forma; sic etiam infusum aromaticum ex cortice mali aurantii, florum arnicae, anethique foeniculi. Hirudines insuper medicinales vasis sedalibus appli-

catae fuerunt. Sed rediit epilepsia post biduum, mitior tamen, et cephalaea comitata cordisque palpitationibus: pulsus erant semper fere naturales. Aderat persaepe ventris dolorificae tensiones, alvi pertinacea obstipationes; quas ad solvendas modo potiones catharticae, modo clysmata emollientia, evacuantia trahebantur in usum. Ad ventris autem auferendam tensionem fomenta nonnihil tepentia, et frictiones oleosae instituebantur. Adhibitum quoque fuit magisterium bismutbi, ex quo optimi observabantur effectus. Sed aderat exostosis in crure dextero non solum, sed aderant etiam dolores osteocopi dirissimi atque diuturni, qui medico evidenter syphilidis genetalis existentiam patefaciunt; quae certe in causa evolutionis, aut reproductionis epilepticarum accessionum esse potest.

Hoc enim facile explicare possumus cum parumper attendamus exostosim, aut tophum mole sua minimum nervi alicujus ramum comprimentem. Impressio ista insolita, diuturna in individuo jam disposito facile epilepsiae evolutioni ansam praebere potest. Quare hisce positis epilepsiam in casu nostro originem suam si non a syphilide directe duxisse, tamen ab eadem ali certe atque excitari posse censemus. Hinc curam nostram ad debellandam syphiliticam labem convertere studuimus sequentibus pharmacis, hydrargiro cinereo Moscati cum resina guajaci, atque taraxaci extracto bolorum forma; nec non ligno guajaci, sassafras, sarsa-parilla, radice bardanae in decoctione, quae per tres dies continuabantur. Sed

ceteris ferocior comparuit epilepsia, nosque judicantes probabilius hoc ab usu hydrargiri, quamquam parva dosi propinati, pendere, aliquo temporis spatio ab eo cessavimus. Iterum quidem correpta fuit accessione epileptica aliis dirissima atque persistente sub qua, inscia aegra, faeces atque urinae evacuabantur cum summo faciei rubore et livore. Hinc hirudines ad tempora quamplures. In usum porro traximus mixturas sedativas supra notatas, nec non decoctiones roborantes ex cortice aurantiorum, floribus arnicae et radice valerianae silvestris. Nonnullorum dierum spatio quiescere visa est; sed iterum ingruit paroxysmus cum singultu ac vomiturition, qui post biduum cessit. Melius in posterum sese habuit aegra: sed debilis summopere erat, atque quies deposcebatur una cum pharmacis energiae internae faventibus: hinc elixir stomachicum viscerale Hoffmanni cum syrupo corticis aurantiorum in promptu erat, et pro potu quotidiano limonea tenuis cum saccharo. Sed aliquoties aegram dolores vagi vexabant; modo alvus pertinax stringebatur; modo vomitus insurgebat molestus, quae omnia phaenomena prompto allato subsidio evanescebant. Suspendebatur in posterum elixir, illique substituebatur in mixtura ex aqua cerasorum nigrorum et tinctura castorei una simul cum aurantiorum syrupo parata. Sic omnia bene per plures dies procedebant, quando derepente iterum adparuit epilepsia, ceteris aliis mitior breviorque. Apparuerunt catamenia, et regulariter fluentia cessarunt.

Inspicientes mitiores brevioresque insultus evenire, ac magis aegrotam convalescere, bolorum forma castoreum, oxydum zinci cum extracto valerianae silvestris propinavimus, atque supranotatam roborantem mixturam. Phaenomena syphiliticae luis denuo recrudescunt, et dolor lancinans adest in crure dextero in loco exostoseos, qui silente admodum epilepsia, aegram diu noctuque torquent. Quare cum respiceremus multum praeterlisse temporis ab ultima violenta protractaque epileptica accessione, respectuque cessationis catameniorum habito, ad profligandam causam primam hujusce morbi (nempe syphilidem) denuo ad hydrargiri usum, et ad ligni guajaci, sarsaeque parillae decoctionem confugimus, quam curam tantum per biduum experti sumus cum aegrae nostrae summo evidentique emolumento: nam semper melius eam sese habere vidimus; adpetitus vigere incepit, excretiones normales erent; noctes amicas peragebat; magis firmae videbantur vires; accessiones epilepticae evanuerunt; sicque post quadraginta dierum curam aegra nostra pristinae donata sanitati Clinico Instituto laetabunda discessit. In posterum vero, et praesertim in praesens me nequaquam latuit aegrem bona firmaque valetudine frui.

Epicrisis.

Considerando hunc morbum terrificum et saepe lethalem, cum epileptici non semel apoplexia aliisque morbis extinguantur, primum animadvertendae sunt causae, quae epilepsiam gi-

gnere solent. Hae sunt remotae, occasionales et proximae, ex quarum consideratione atque analysi instituta magis congrua occasioni therapia consequitur. In nostro casu praedisponens causa fuit temperamentum plethoricum, valde irritabile, atque vivax imaginandi vis: ad causas vero occasionales pertinent ira, terror nocturnus, abortus et syphilitica labes. Ubi adsit dispositio ad huncce morbum, ut loquar cum Swietenio atque Hallero, causa vel levissima illum gignere potest in tenera praesertim aetate. Magis tamen graves sunt epilepsiae, ubi eae contingant in aetate matura. Huic dispositioni atque impressioni aegrotantis ob gravem terrorem conceptum addi debet syphilis in tenera aetate organismum perturbans non secus ac onania, crapula, casus, et verbera in dorsi regione. Syphilitica neglecta labes, ex qua exostosis in crure dextero contigit, nervos iis partibus diffusos male adfecit comprimendo atque irritando. Hinc morbosa irritatio consensualis ad encephalon usque propagata fuit. Hinc rite explicari possunt abnormes sensuum motuumque muscularium perturbationes. Nec difficile est in suspicionem incidere spinalem medullam quoque saepissime adfici in repetitis epilepsiae insultibus. Quomodo vero terror agat ut epilepsiae causa, supervacaneam esse puto explicationem, cum aliunde plurima habeantur exempla repentinae epilepsiae ab hujusmodi causa ortae.

Quoad multiplices vero epilepsiae causas, aut idiopathicae sunt, aut sympathicae, et quoad oppor-

tunam medelam, pretiosum consulere Tissotii opus oportet.

Quoad curam satis elucescit respiciendam esse causarum considerationem; qua in re multiplicia jactata fuerunt pharmaca. Utinam vero semper voto respondere possint! Fortasse inopes in tot remediorum supellectile videri debemus.

Prognosis ratione perspecta difficilis curationis morbus summopere est, praesertim ubi post pubertatem accidat, aut in aetate matura contingat. Nullam autem curationem admittit si nimis crebri gravesque sint paroxysmi, et si epilepsia a vitio cranii, cerebri atque meningum organico originem ducat; exitus vero lethalis non semel apoplexia, fatuitas est.

Qualis autem momenti sit syphiliticus morbus in epilepsia efficienda, hoc non latuit immortalem medicinae Nestorem Portal, qui in insigni suo opere tam bene disseruit de epilepsiae causis, phaenomenis ac cura quamplurimis historiis atque observationibus ex aliorum propriaque experientia depromptis illud locupletando. Legere oportet ergo ea, quae adtulit exempla, quibus luculenter patet epilepsiam valde pertinacem aliisque pharmacis rebellem originem non semel duxisse ab exostosi cranii, aut alius partis. Hydrargiri vero praeparata, lignum guajacum, sarsa-parilla, et alia pharmaca antisyphilitica ita dicta morbi praecipuam causam radicitus auferendo, morbum ipsum penitus distularunt.

THESES

I.

Morbi modo typum remittentem, modo intermittentem ostendunt.

II.

Epilepsia simulata a vera facile distinguitur.

III.

Epilepsia juniores magis quam adultos corripit.

IV.

Veneris abusus, exostoses, tophi in causa sunt epilepsiae aut generandae, aut reproducendae.

V.

Aliquoties medicina est medicinam non facere.